

AD CANDIDVM
LECTOREM PRÆFATIO

L. LEMNII MEDICI.

NVO sunt artium, qua hominum utilitati atque usui deseruiant, instrumenta, quibus omnia firmari solent ac stabiliri, Ratio & Experientia. His enim ipsa Medicina, & præter Mathematicas artes, pleraque alia fulciuntur. Siquidem quæ exacti excussique iudicii hominibus sunt factura fidem, ad hanc amissim exigi, ad hunc lapidem Lydium debent explorari. Quid autem magni præstiterit Medicus, si herbas ac medicamenta efficaces obtinere effectus ratione student euincere, nisi id experimento comprobet? E diuerso, quæ fiducia niti posset experimento, quod plerumque absque iudicio adhibitum, fallax esse ac periculosum declarat inconsulta Empiricorum temeritas, nisi illi ratio suffragetur? Et quanquam Sophisticum censeret, contra experientia testificationem ad documentum rationem exigere: nunquam tamen quisquam sanæ iudicii, & qui in delectu rerum aliquid pensi habet, experimento assensum se-

gerit, aut id temere experiri sustineat, nisi ratione
 id per omnia comprobatum sit, ac suffultum. Non
 tamen diffiteri possim, aut tergiversari, quin multa
 sint in natura rerum abdita atque abstrusa, effe-
 ctuque tam latenti & caco, ut temerarium sit ta-
 lium rationem inire, aut facti causam explicare.

Luc. 6, c. 34. Hac ipsa Dioscoridi ad casuorobynca dicuntur, hoc
 est, ratione destituta, & causarum cognitione vi-
 dua, qua sensui & intelligentia manifestam de-

Occulta pro-
 prietates.

monstrationem non exhibent, eoque occulta pro-
 prietates Medicis dicuntur. Siquidem aliquid in-
 teruenire censent huiusmodi rebus vel ex decursu
 astrorum, ac sid:rum corradiaxium meatu, vel ex
 diuina voluntate, aut elementorum concrecione
 ac mixtura, vel denique totius substantia vi, for-
 maque specifica, qua cum ratione mentisque iu-
 dicio assequi nequeamus, in occultas essentias, ab-
 ditasque proprietates ea reiicimus, ac tali suffugio
 eluctamur, ex eoque Labyrintho nos extricamus.
 Ego vero, quo ad huiusmodi rerum demonstratio-
 nes, causasque eruendas doctorum animos exsti-
 mulem, admitar pro virili probabili atque artifice
 coniectura rationem elicere, aut quam proxime
 collimando scopu attingere. Multa sunt, fateor, in-
 coperta originis in natura rebus, ac densis obscuri-
 tatibus inuoluta, quoru tamen probabilis ratio ex-
 cogitari, atque effectus causa, si non euidenter &
 perspicue, certe verisimiliter reddi potest. Verbi
 causa; Basiliscus hominem visu perimit. Quis ex-
 ercita-

erectus in operibus natura id euenire nesciat ex
emanantibus noctis expirationibus, quas sensim ac
latenter in hominis perniciem exhalat. Nec enim
solum Regulus, sed omne propemodum ferarum ge-
nus homini infestum est, atque afflatu, sibilorum ge-
stit inferre exitium. Sic lupi conspectus, modo pro-
pius homini adsistat, oris hiatu atque halitu viru-
lento raucedinem inducit, ac tantum non vocem
adimit. Sic muliebris sexus mensibus profluentibus
aboris speculique nitorem offuscatur, ferri aciem retun-
dit, segetes strangulat, hortorum germina conficit
halitus contagio, ac non modo obuios, quosque, sed
ipsam se maculis nauisque deformat. Pari ratione
oculis lippitudine, atque Phylax vitiat, alterius
oculos affici contingit. Quod venusta similitudine
expressit Ouidius, & Iuuenalis;

Cum spectant oculi læfos, læduntur & ipsi: Satyr. 2.

Multaque corporibus transitione nocent.

Sic pecudes, armenta, boues, grex totus in
agris

Vnius scabie cadit, & porrigine fœda,

Vuaque conspecta liuorem ducit ab vna.

Homines autem hominibus contagionem potissi-
mum afflant, ubi ex aduerso consistunt, neque enim
si in obliquum vergat exspiratio, vel si in dextrum
aut laeuum effluxum ferri contingit, tantum damni ad-
fert, tantaque labo insicit. Vt enim transuersa atque
obliqua visio: quemadmodum patris ac lusciosis asso-
let, nonnihil obtunditur atque hebescit; ita quaerit.

oculis, aliâq; corporis parte emanant, si obliq; ferantur, vetundi atq; hebetari contingit, minusque malè inferre adstantibus. Quod ipsum studiosius observare soleo, ubi agrotis contagio affectis assisto, adeo ut semper aversus cum iis verba faciam, nunquam inter fumarium & decumbentem consistens. Hic effluxus atq; emanatio, tamen si oculus se non exhibeat, minusq; sensui visorio sit exposita, naribus tamen, auribus, cerebro, vocali arteria pulmonumq; fibris se ingerit. Sic nonnullos observavi tam terra mephite, atq; anima graue lentia, ut nisi longius absistas, obuios quosque halitus contagio feriant, inficiantq;. Quam late autem se porrigat halitus animantium, quousq; se proferat contagium, hybernis mensib; flante per gelicidia Aquilone, cuique perspicere licet. Siquidem ob aeris densitatem ac crassitatem, fumantem animâ ex intimis praeordiis reciprocratione quadam, ut Oceani aestuaria erumpere videmus, ac longelateq; se diffundere: quae licet aestiuis diebus non sit conspicua, oculisque minus exposita, eam tamen vel odore percipis, vel in intimis praeordiis tacitum virus concipis. Atq; ut hac ipsa corpori pernitiè molitur, ac lethale virus inferunt, ita suaves odores, ac stirpium fragrantia spiritus erigunt, ipsumq; vitæ fontem cor fouet ac recreat. Quod vel obesa naris quisq; animaduertere potest cum vires syncopi collapsas, animiq; deliquio sopitas restaurari, erigiq; videt odoramentis. Verum omissis his minutis, postmodum fauore supremi Numinis magis re-

AD LECT. PRÆFAT.

condita feram. Quod si videbor cuiquā penitus natura arcana eruisse, vsuq; sublāgūdis parumq; firmis rationibus, ac tenui rationis filo, nulloque verborum apparatu, nullis copiis naturam instruxisse: huic ego persuasum cupio, doctis præbitam potius ac demonstratam à me scribendi materiam, quam præceptam. Ista siquidem sum aggressus, ac tractanda suscepi, non tam spe fiduciaq; perficiendi, quam experiendi studio ac voluntate, simul ut plenior obsequio meum patronum demererer, meosque ciues hoc officio dsuincirem. Excitat autem ad huiusmodi tentanda post Platonem Persius, cupitque patria ciuib; que hoc tanquam debitum munus exsolui. Sic enim ad rerum contemplationem, ad studium virtutis, ad sectanda hominum commoda nos exstimulat:

Discite, & ò miseri causas cognoscite rerum,
 Qui sumus, aut quidquam victuri gignimur,
 ordo

Quis datus, aut metæ quam mollis flexus &
 vndæ

Quis modus argenti, quid fas optare, quid
 asper

Vtile nummus habet, patrię carisq; propin-
 quis

Quantum elargiri deceat, quem te Deus
 ille

Iussit, & humana qua parte locatus es in re.
 Itaq; experiar, quid efficere, aut quo progredi possim

mihique culpam deprecari liceat, si non omnia sum
 assequutus, eoque infelix, quod infiniti operis ar-
 gumentum tam sit vastum adeoque se in immen-
 sum porrigat, ut infiniti sit operis, nec medio-
 eris ingenii, omnia ad amissim exsequi, istamque
 Spartam pro sua dignitate atque amplitudine exor-
 nare. Quod si Horatius in triviali, minimeque ope-
 roso argumento,

Dat veniam maculis, quas aut incuria fu-
 dit,

Aut humana parum cavit natura.

quanto magis in tanta rerum difficultate ad ple-
 raque connuere mussareque convenit, nec omnia
 ad vivum, ut dicitur, reserare? Dicit enim vix que-
 at, quanta Medicis deoranda radia, qui subeundi
 labores, qua perferenda domi forisque molestia, que-
 rimonia, ac voces plorabunda, quum rerum suarum
 satagunt, ac civibus suam operam sedulo impen-
 dunt: quorum cum omne studium atque industria
 in actione consistat, nihil laxamenti, nulla respiran-
 di spatium admittit non minus negotiosa quam qua-
 stuosa praxis, adeo ut qua successivis horis, hoc est,
 ubi legitimis officiis sunt perfuncti, meditantur,
 vix ea literis madare vacet, nedum expolire. Quod
 cum mihi assidue vsuveniat, atque huiusmodi oc-
 cupationes domi forisque continenter me involu-
 nant, agere ac difficulter omnia pro animi senten-
 tia perfici possunt: verum cum natura contempla-
 tia unice me afficiat, nec excogitari possit argu-

AD LECT. PRÆFAT.

mētum plausibilis visum est, eius miracula tra-
 ctare locupletius, omniaq; natura opera spectatiora
 efficere. Quocirca post consecratos noui huius anni
 auspicio inuictiss. Suecia Regi Erico libros hos qua-
 tuor de natura miraculis, eiusdem argumenti duos
 breui adiuicere mediator, quo Serenissimus Rex con-
 fecto sopitoq; bello, quod illi contra coniuratos ali-
 quot hostes, summa virtute atq; excelis inuictique
 animi magnitudine & robore, terra mariaq; susce-
 ptum est, cumulatius natura ac rerum contem-
 platione reficiatur. Hoc à Guilielmo Simonide Ty-
 pographo Antuerpiano stipulatus, ut in gratiam
 Maiestatis Regia, auidiq; lectoris, speciosos, ac spe-
 ctabilos typos exhibeat: quod cum se effecturum sit
 pollicitus, ac summa fide prestitit Christophori
 Plantini industria, reliquos mature perficere co-
 gito, modo nequid incommodi inciderit, ac Pater
 celestis firmam stabilemq; valetudinem concesserit:
 sic enim futurum spero, ut proxima apud Fran-
 cofordianos nundinarum frequentatione noui
 quiddam prodeat, quo studiosus Lector denuo se
 possit oblectare. Nouitas enim & oblectatio legendi
 discendique incitamentum est & illecebra, præ-
 fertim ubi res dilucide appositisq; verbis explica-
 tur, ac seria iocosis, vtilis dulcibus atque amantis
 mixta sunt: quod ipsum pro virili prestare stu-
 dijs, ea usque moderatione, ut nusquam à decero de-
 flectam, nusquam honesti loquor
 egrediar.

Erici Sue-
 cia Regis
 magnani-
 mitas.

Auctor au-
 cturum lib.
 pollicetur.

Auctor cal-
 pā amil. sur.

